DE HÆMORRHOIDIBUS DISPUTATIO ACADEMICA QUAM AD SUMMOS...

Carlo Fovel

DE

HAEMORRHOIDIBUS

DISPUTATIO ACADEMICA

QUAM

AD SUMMOS HONORES IN ARTE MEDICA

ASSEQUENDOS

IN VETUSTISS. AC CELEB. ARCHIGYMN. PATAVINO

PUBLICE EXPONIT

CAROLUS FOVEL

VENETUS

CHIRURGIAE DOCTOR

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

M. DCCC. XXX

VIRO CLARISSIMO

FRANCISCO HENRICO TROIS

MEDICO EXPERIENTISSIMO

MAGNI NOSOCOMII VENETI

MODERATORI PROVIDENTISSIMO

ATHENAEI VENETI TERVISINI

NECNON UTINENSIS ACCADEMIAE SOCIO

ETC. ETC.

CAROLUS FOVEL

CHIRURGIAE DOCTOR

F.

Etsi multi sint, qui opusculum quod edunt aliquod, praestantissimo cuipiam Viro inscribere soleant, ut callida assentatione et laudibus ejus iniant gratiam, non ego tamen is sum, qui cum dissertatiunculam hanc Tuo nomine, Vir Clarissime, condecorare exoptaverim, istorum consuetudini existimem inservire. Scio potius et mecum ipse saepius commemoro,

ingrati animi esse aut accepta beneficia contemnere, aut, si occasio ferat, ea libentissime non recordari. Cum Tu mihi auctor fueris, ut medicinae addiscendae totus incumberem, meque perdiligenter complexus non tam doctrina qua polles, et monitis, quam Tui ipsius exemplo impuleris et incenderis; hac solemni die, qua celeberrimum Collegium Medicorum Archigymnasii Patavini summos mihi in arte nobilissima honores concedit, benificia illa Tua mihi praesertim ob oculos obversantur, ac dissertatiunculàm, quam pro studiorum meorum specimine illustris Academiae legibus doctorum Virorum examini subjicere debeo, Tibi uni offerendam esse censeo. Nil revera habet exiguus hic labor, quod novum Tibi esse possit; attamen dum spero in primo tenuis ingenii fructu Te observantiae meae et grati animi significationem fore consideraturum, Te una simul obtestor atque obsecro, Vir clarissime, ut si quid expolitius de me expectari posse putes, me ipsum in Tui gratiam receptum benevolo pergas studio sustinere.

Etsi novum atque inauditum plerisque visum fuerit adolescentibus illis, qui perfuncto studiorum curriculo Laurea corona redimiri cupiunt, de medico argumento esse disputandum, nihilo tamen secius in hac perillustri Scientiarum Universitate consuetudo illa jam erat in more; immo quemadmodum in caeteris rebus, ita in disputationibus edendis nos cum caeteris gentibus jamdiu certavimus (1). Aequum enim et e re esse majores nostri judicabant doctrinae specimen praeberi ab eo, qui doctum hominem appellari voluisset. Ego vero eo ad Vos animo veni hodierna luce, Praeceptores Sapientissimi, non ut veteri simul et recenti consuetudini tantum-

(1) Huc pertinet ex. gr. *Disputatio Medica de Hydrope quam se defendere conabitur Tobias Zollet.* Patavii 1677 4. et alia.

modo satisfacerem, non ut de ingenio aut de mea dicendi facultate judicetis: sed ut in extremo hoc agone sapientiam atque humanitatem vestram iterum experiar.

Inquirenti autem mihi et sedulo cogitanti quodnam ex universa medicina argumentum seligerem, quod nisi novum vestrisque auribus dignum, meis tantum viribus accomodatius foret, haemorrhoidalium vasorum morbosae affectiones se se mihi obtulerunt, quae attento venae portarum influxu summam merentur medicorum considerationem. Arduum suscepi laborem, cum Galenus ipse nos doceat, sedis vitia et affectus *difficilem curam accipere*: attamen quis laboris exitus fuerit, Vos ipsi perhumaniter judicetis obtestor.

Intestinum rectum arterias habet et venas. Arteriae a majoribus quibusdam truncis suppeditantur, praecipuum tamen ortum ducunt ab arteria mesocolica sinistra, ab hypogastrica et a pudenda communi. Priores quae videlicet a mesocolica oriuntur, haemorrhoidales *internae* dicuntur: *media*, quae omnium insignior, ab hypogastrica distribuitur, reliqui rami qui arteriae pudendae sunt soboles, per exteriores ani partes excurrunt, adeoque haemorrhoidalium *externarum* arteriarum nomine veniunt. Arteriae illae omnes ad invicem per ramorum anastomosim inosculantur, et rete efformant ex quo sanguis in venas impellitur. Venae autem in universum arteriarum comites sunt, verum numerosiores, latioresque. Surgunt ab intestino, et pleraeque in ve-

nam mesocolicam sinistram, aut haemorrhoidalem internam sanguinem ducunt, qui cum lienis et mesenterii sanguine commixtus fertur ad hepar, ut bilis in hoc viscere secernendae elementa comparet. Laxioris texturae sunt venae illae, plurimo adipe prope anum circumdatae, frequenter cum insidemus, et a duris faecibus aut in intestino recto morantibus, aut ab eo exeuntibus compressae. Ex eo fit ut a sanguine in iisdem congesto distentae, in tumores variae figurae ac magnitudinis assurgant, quos nihil aliud esse quam *varices venarum ani* scripsit Boerhaavius. Tumores istiusmodi non raro dolent, ac contentum sanguinem varia quantitate, saepe etiam immodica profundunt. Etsi vero frequentius a venoso systemate sanguis promanet, haud tamen negari potest ex arteriarum quoque extremitatibus quacumque de causa dilatatis, erosis, ruptis ipsummet sanguinem suppeditari.

Haemorrhoidum itaque nomine comprehendi consuevit tum eorumdem vasorum intumescentia, tum sanguinis ex iisdem evacuatio, non minus quam ad hanc molimina. Frequens hoc sanguinis ex haemorrhoidalibus vasis profluvium, etsi saepe a provida natura excitetur cum utilitate; haud tamen alias non secus ac caeterae haemorrhagiae gravibus et periculosis caret symptomatibus ac effectibus, quae lenire et arcere plurimi profecto interest (1). Hinc

---

(1) *Triste moneo remedii genus esse, quod plerumque vires frangat, in majori aetate hydropem*

orta est distinctio in caecas vel fluentes, et in internas vel externas. Caecae sic dictae sunt illae, quae nondum sanguinem emittunt, sed tantum molestiis et cruciatibus aegrotans laborat: fluentes, quae sanguinem aliquando expuunt: internae, quae in cavo superiori recti intestini resident: externae quae sphincteribus aut partibus eorum circumambientibus tantum inhaerent, quae caecae sunt et externae visu, quae vero internae, aut digito in anum immisso, aut ani sic dicto specillo dignoscuntur. Eae, nunc ad podicis marginem varios exhibent tumores, pisi, avellanae, aut etiam ovi columbini magnitudinem exaequantes, numero varios, qui modo partem tantum, modo totam ani peripheriam occupantes, nunc extra ani marginem propendunt, vel circum ipsum sedent, vel oculo subtracti sub majori tantum nisu ex ano protruduntur a faecum maxime duriorum egestione, atque haec non raro impedita, quemadmodum etiam difficilis summopere fit clysterum injectio. Fluentes autem sanguinem ejiciunt, qui nunc fluidus, nunc floridus, nunc niger, densus, coactus apparet. Sane diversam sanguinis qualitatem esse concipitur prout vel immediate ex vasis effluit arteriosis vel venosis, aut ex utrisque, vel postquam jam diu in sacculis haemorrhoidalibus coercitus, aut in recto intestino effusus moram pas-

---

arcessat; quam, ut memini, ea ex causa natam nulla Boerhaavii consilia potuerunt curare, etc. Haller *Elem. Physiol.* Lib. XXIV. Sect. IV. § 13.

sus, mox effunditur ex ano vel purus, vel cum faecibus emittitur, harumve egestionem nunc praecedit nunc subsequitur. Hinc cur nunc *criticus*, nunc *symptomaticus* audiat hic fluxus, et rursus ab indole *mites* vel *graves*, *benignae*, vel *malignae*, *gangrenosae* dictae sint haemorrhoides. Insuper semel enatus haemorrhoidalis fluxus, habitudinis contracta lege, determinatis recurrit periodis, et modo a locali vitio, modo ab universi systematis affectione sobolescit, nunc ab adauctis, nunc ab infirmatis vitalibus vasorum proprietatibus ortum ducit. Demum, ut et alia sanguinis profluvia, haemorrhoides quoque in *primarias* distinguuntur et *secundarias*, quemadmodum vel *simplices* sunt, vel cum aliis morbis conjunctae.

Inopinato quandoque et absque praecedentibus molestiis, sanguinem ex ano stillare animadversum est. At generatim multiplicia eaque varia tum localia, tum quae universi systematis, vel peculiarium partium ac viscerum morbosam testentur affectionem praecedere consueverunt symptomata. Ad quae pertinent capitis dolor, vertigo, tinnitus aurium, spirandi difficultas, maxime a pastu, lassitudo, oscitatio, pandiculatio, cordis palpitatio, sudor postquemlibet corporis motum paulo vehementiorem: anorexia, appetitus depravatus, dyspepsia, cardialgia, oris amarities, abdominis inflatio universalis, vel partialis, ructus, borborigmi, alvus adstricta, dolores colici variis intestinorum portionibus respondentes. Huc quoque referuntur sensus quidam ple-

nitudinis, ardoris ac doloris ad lumbos et ad anum, et quasi guttae calidae delabentis: pruritus ani et glandis, frequens mingendi et desidendi cupiditas, dysuria, stranguria.

Huc demum aliae molestiae vario modo et gradu excruciantes, uti anxietatis, oppressionis, constrictionis sensus in variis abdominis praesertim locis, ac visceribus non secus ac in lumbis, iliis et coxis, unde et gressus et incessus difficultas augetur, et musculorum perturbata actione, aut stupor contingit, aut convulsivis motibus ipsi agitantur, ac non nisi cum dolore ac labore motus peraguntur. Pronum hinc est concipere affectionibus illis febrem non raro consociari et universas oeconomiae animalis functiones perturbari ac laedi, ut mittamus incommoda, quae tumores quoslibet comitantur, praesertim si haemorrhoides inflammatione laborent, priusquam sanguinis appareat profluvium. Fluxui istiusmodi praeire solet serosae, mucosae materiei evacuatio, quae faecum egestionem comitatur, aut conatus ad deponendam alvum subsequitur, vel interdum sponte ex ano stillat. Haemorrhoides albas nonnulli hunc fluxum vocavere.

Sub hac rerum conditione diversa observare contingit symptomata, diversosque effectus prout caecae sunt haemorrhoides vel jam fluentes. Generatim loquendo in caecis adsunt tormina, pulsantes urentes dolores, ani procidentia, haemorrhoidum ipsarum inter constrictos sphincteres compressio ac strangulatio cum enormi cruciatu, atque alia quam-

plurima molestissima symptomata. Hinc etiam eorumdem tumorum non tantum, sed et ipsius recti intestini tunicae inflammationes, indurationes, abscessus, gangraenam saepe induci facile concipitur. Etsi tamen contingit aliquando, ut molles et flaccidi haemorrhoidales tumores vix, aut ne vix quidem doleant, et lenia propterea pariant incommoda.

Quod spectat vero ad haemorrhoides fluentes unde frequenter plurima ex memoratis symptomatibus ac molestiis prout sanguis dejicitur, eadem dicenda sunt; vario enim modo et adspectu se praebet evacuatio sanguinis: et nunc pleno jactu, nunc affatim, vel etiam paulatim, et numquam intermissa ejectio, virium insigni subsequenti collapsu, gravissimis ut excedentes aliae haemorrhagiae, ortum praebet effectibus.

Memoratis symptomatibus alia excedunt in sequiori sexu (1) vaginae nimirum pruritus, ardor, dolor, compressio, constrictio, subsequente nonnumquam, aut adjuncto sanguinis profluvio aut leucorrhaea. Rursus observare est intensiores apparere molestias instante menstruorum periodo, quorum saepe vicarius est haemorrhoidalis fluxus, aut in ea aetate, qua evanescunt, sicuti et in graviditate, ultimis praesertim mensibus. Aliquando etiam partui ob-

(1) Sane enim frequentiores esse haemorrhoides, et tam virili quam foemineo sexui admodum familiares satis certus redditus sum (Stahl) *de vena portae porta malorum* Sect. III.

staculum objiciunt tumentes haemorrhoides, quae sub maximis nixibus ruptae copiosum interdum sanguinem effundunt.

Fluentem ex haemorrhoidalibus vasis sanguinem non solum interdum nihil sanitati obesse, sed saepe pluribus morbis praevertendis aut sanandis valere compertum est, et quotidiana pene observatione confirmatum. Quin immo ex hujus suppressione gravissima incommoda et apoplexia et mors consequuta frequenter est. Quod quamvis nemo certe in dubium revocabit, haud tamen illorum sententiae adhaerendum est, qui haemorrhoidalem fluxum necessarium et innumeris morbis praevertendis aptum appellant: neque minus eorum opinio plurimi facienda, qui parum aut nihil ab haemorrhoidali fluxu expectari posse crediderunt: propterea que numquam esse adjiuvandum, aut ciendum. At fluxum istiusmodi neque laudari generatim, neque vituperari posse existimo: juvat enim vel nocet pro hominis aetate, temperamento, vitae genere, morbis ac symptomatibus quae vel fluxum praenunciant, vel comitantur.

Omnia quae sanguinem ad arterias haemorrhoidales impellere valent, ut et illa quae ejusdem per venas regressum intercipiunt, aut remorantur, inter haemorrhoidum occasionales causas recenseri merentur. Hinc stimuli recto intestino, vel vicinis partibus admoti, quo spectat irritatio ab acribus directe vel indirecte inducta: clysteres calentes nimium irritantes, spirituosorum et aromaticorum abusus: acu-

ta, irritantia indita corpora, drastica, aloetica, balnea calentia, hirudines, partus nisus, conatus ad egerendum alvum (1), equitatio, succussio violenta, catarrhus intestinorum, dysenteria: morbi uteri, vesicae, vaginae: suppressae aliae evacuationes, virus venereum, vel blenorrhoicum, rheumatica, artritica, herpetica affectio, similia. His quoque accensentur foeces in crassis intestinis diutius morantes, durae, compactae, diaeta sicca, cibi alterati, corpora dura, ut prunorum et cerasorum nuclei, ossicula animalium, farinacea non fermentata: alvus obstructa, compressio a flatibus, aliisve a causis inducta: tumor obstructio scirrhus lienis, haepatis, mesenterii, uteri, vaginae, diuturna corporis perpendicularis positio. Nec reticendus diutius in sella perforata insessus, qua de re damnata, ut advertit Haenius, prava consuetudo socordium matrum atque nutricum, quae infantes hisce sellis insidere cogunt diutius, unde dispositio nasci potest ad haemorrhoides: quo etiam referundus nonnullorum habitus latrinis diutius insidendi, nec non foeces ob desidiam aut aliam ob causam diu retinendi.

Melancholici, laute viventes, inertem et otiosam agentes vitam, praepingues, diuturnis curis oppressi,

(1) *Boerhaav.* (Praelect. in Istit. § 774) *ait in nixibus ad egerendum necessariis:* comprimi intestina, sanguinem arteriosum promoveri, venosum retardari, adeoque stagnare in vasis intestini recti, putrescere, sicque dispositionem ad haemorrhoides inducere.

plethorici, ac qui aliis sanguinis fluxibus anteriori aetate laborarunt, haemorrhoidibus magis obnoxii sunt; nec silentio praeterire possumus praedispositionem a parentibus in prolem transmissam, uti ab observatoribus adnotatum fuit. Demum fluxus haemorrhoidalis virili ac provectiori aetati magis familiaris, haud tamen coeteris parcit, nec desunt, ut refert Lieutaud, infantes septem aut octo annorum, qui hoc fluxu ad ultimam rerum lineam laborarunt.

Quemadmodum haemorrhoidalis fluxus non raro providum est naturae molimen, quod a pluribus morbis hominem servat incolumem, et immunes a pluribus morbis eos pronunciaverit Hippocrates qui haemorrhoidibus laborarunt; ita et plura, eaque interdum gravia eumdem fluxum sibi adscissere incommoda ac mala ratum est, exploratumque. Adde quod non pauci medicinae scriptores praestantissimi graves et onerosas prorsus ex hoc fluxu suflaminato affectiones aliquando laethales exortas fuisse testentur. Atqui istiusmodi fluxus effectus vel salutares, vel noxii non ex quantitate solum fluentis sanguinis, sed ex corporis conditione, ac morbi indole, ex tempore, aliisque peculiaribus circumstantiis sunt repetendi. Hinc manifestum est quanti ad haec intersit attendere, ut morbi prognosis statui possit, circa quam nonnulla collegisse suffecerit ex veterum testimonio non minus, quam ex diligenti recentiorum observatione excerpta. Et primo quidem, sicuti de narium haemorrhagia notatum

fuit, nulla profecto est ratio cur superveniens haemorrhoidum fluxus in homine plethorico, lautius nutrito, aetate ac valetudine firma fruente, non solum periculi expers, sed utilis pronuncietur: eamdemque utilitatem attendere fas est, si suppressae alterius evacuationis vice fungatur fluxus ipse, quin immodica sanguinis copia novum morbum constituat.

Boni ominis insuper est haemorrhoidalis fluxus, si in illis morbis contingat, in quibus a sanguinis evacuatione tum generali, tum praesertim locali levamen est expectandum: neque aliter sentiendum, si in iis manifestetur, in quibus sanguinis fluxus morbis praevertendis aut eorumdem recidivae praecavendae valere credatur. "Melancholicis, ait Hip-,, pocrates, et nephriticis haemorrhoides superve-,, nientes, bonum: quae apoplecticis, insanientibus ,, si varices aut haemorrohoides supervenerit, insania ,, solvitur ,,. Idem divinus senex casum refert Ancippi, qui curatis contra medicorum sententiam haemorrhoidibus simul insanivit. Morbi indoles cui fluxus haemorrhoidalis supervenit, ac praesertim subsequens ab eodem levamen, utrum criticus aut symptomaticus sit fluxus, judicabunt. Etsi autem sanguinis ex haemorrhoidalibus vasis jacturam, quamvis non minimam, facilius caeteris haemorrhagiis perferri observationes doceant, eamque boni ominis censendam, quum aliis magis pertimescendis sanguinis fluxibus, et haemophthysi, haematemesi, haematuriae supervenit si tamen nondum ex-

cedat, numquam periculo immunis est extimanda: saepe enim, ut inquit clariss. Frank, non adeo ob mortem, quam raro citius inducit, quam ob facilem hydropem, tabem, ob intestini abscessus, ulcera, fistulas, et aliquando gangraenam, periculi plena ac semper incommoda dicenda est.

Sunt qui opinantur, utilitates, aut noxas, quae tum ex fluentibus tum ex suppressis haemorrhoidibus enascuntur, facilius praenosci, atque hinc adeo non minus ad assequendam symptomatum aethiologiam, quam ad curationem suscipiendam majorem obtinere facilitatem, si ratio habeatur vasorum, prout nempe vel ab externis, vel ab internis sanguis funditur. Verum cognitae ex anatome haemorrhoidalium vasorum distributiones, ac praesertim frequentes externorum (1) cum internis communicationes sat evincunt, tanti non esse faciendam hanc considerationem, ut ab externis (ita Dehaen): " haemorrhoidalibus va-,, sis tam scrupulose sejungamus interna, ut hinc

---

(1) Ita clariss. Saltzman (de vena portae § 16). Hoc autem notari quam maxime meretur, quod unus ex recensitis venae haemorrhoidalis internae ramificationibus ad sphincterem usque ani progrediatur, cumque sobole quadam haemorrhoidalis externae per mutuam anastomosin conjungatur. Et ab hac inosculatione derivandus potius videtur consensus, quo mensium vitia aut alii uteri affectus ad venam portae redundant, et non exiguas quandoque turbas excitant etc.

,, varium scopum practicum veluti dirigere nitamur ,,.

Interim sicuti a spontaneis haemorrhoidibus, aut ab iis quae naturae conatu et evidentiori aliqua causa excitatae fuerunt, non valde pertimescendum: haud tamen idem dici potest, cum habitualis jam sit fluxus, isque repente aut arte, aut naturae vi, aut praeposteris auxiliis supprimitur. Tum scilicet vel haemorrhagiae ex illis locis, et graves viscerum non solum imi ventris, sed et pectoris et capitis congestiones, inflammationes, venosi affectus, et aliae permultae aegritudines, tum acutae, tum cronicae in promptu sunt. Hinc palam est quanti intersit medicum in indagandis morborum causis sciscitari, utrum haemorrhoides habitudinis legem jam adeptae aegrum a longo jam tempore vexaverint, necne.

Qui possit praestolari exitus in haemorrhoidibus caecis visu, aut exploratione dignoscendis, ex harum numero, magnitudine, sede, causis, inflammationis vehementia eruendum, unde ipsarum resolutio, vel transitus in indurationem, suppurationem, ulcera, fistulas, sinus, gangraenam, haud ita difficile praenoscere datum erit.

In haemorrhoidum itaque curatione illud in primis a Medico perpendendum est, utrum hunc fluxum sinere, aut promovere, an vero moderari, aut compescere debeat. Et primo quidem haud certe in ea sumus opinione, hunc fluxum viris aeque necessarium esse ac foeminis menstrua.

Quamvis enim inter caeteras haemorrhagias haec minus terrere debeat, atque observationibus comprobatum sit, salutem saepenumero a benefica hac sanguinis missione identidem promota conservari vel restitui, est tamen semper praeter naturam " neque ,, enim, ut jam dixit Galenus, omnium hominum ,, est sanguinem his venis effundere, sed quorum- ,, dam, neque sanguis unquam, nisi in foeminis se- ,, cundum naturam excernitur ,,. Hinc si homo plethora laboret, atque haemorrhoidalem fluxum alias, et saepe passus fuerit, haud tamen curatio in eo semper debet consistere, ut depletio illa restituatur: siquidem quemadmodum si determinato tempore coecis tumentibus haemorrhoidibus, aliisve praesentibus symptomatibus naturae molimen per hanc viam manifeste indicetur, convenit naturae sequi indicatum hunc fluxum provocando; ita pariter nullum est dubium quin aliis in circumstantiis diaeta, exercitationibus, venae sectionibus, caeterisque auxiliis et plethoram tollere, et ipsam praepedire datum sit; ac propterea non solum liceat interdum, sed oporteat haemorrhoidalem fluxum impedire et arcere. Id magis perspicuum fit si perpendamus, naturam hunc fluxum in multis non excitare, multa incommoda ex eodem contingere, et ex occasionalibus pluribus causis produci, ut induratis faecibus, pravis consuetudinibus, equitatione, graviditate, similibus, quin caeteroquin haec sanguinis evacuatio saluti necessaria censeatur. Natura vero haemorrhoidibus non est assuefacienda; con-

suetudine enim inducta jam non amplius licebit absque discrimine incommodum penitus arcere. Hinc intelligitur cur de diuturnis haemorrhoidibus speciatim dixerit Hippocrates, non omnes curandas esse, sed unam servandam esse apertam. Clariss. Waltherus in Dissertatione " *de obesis et voracibus* ,, (§ XVII) haec habet : damnamus eorum medi- ,, corum morem, qui diuturno et vario incertoque ,, ac saepe inutili remediorum adparatu, usuque, ,, aut haemorrhoidum fluxus, aut alia, ob leves ,, saepe hominum querelas, provocare student,,.

Haud tamen censendum est in diuturnis et habitualibus haemorrhoidibus adeo generalem esse earumdem servandarum promovendarumque indicationem ac necessitatem, ut numquam fiat locus ipsarum curationi. Enimvero si causa ex qua haemorrhoidalis fluxus sustinetur, ejus generis sit, ut aptis queat removeri auxiliis, an non praestabit eam penitus tollere, ut deinde compescatur fluxus, ex quo alia gignerentur incommoda? Dabimus, si lubet, difficile hoc in casu esse judicium, omnia sedulo libranda, nec non perpendendos effectus ex ipso profluvio in oeconomia animali productos, et summam idcirco requiri circumspectionem, antequam certi aliquid statuatur. Comparanda videlicet est affectio morbosa cum aliis in quibus homo ex haemorrhoidali fluxu levamen et salutem obtinuit; praeter haec morbi eadem natura ac symptomatum a suflaminata evacuatione apparentium; tandem cognitio causae vel universalis, vel localis, totidem

sunt adjumenta, quae attente explorata plurimam poterunt lucem effundere ad vitandas pro viribus ambiguitates, ad distinguendum nempe utrum haemorrhoidalis conditio revera salutare naturae conamen sit, an effectus morbosae alicujus causae, cui potius tollendae aut infringendae sit collaborandum.

Hinc patet, cur jure laudatus De Haen illos arguat, qui ex apparentibus nonnullis symptomatibus, quae nunc haemorrhoides ipsas, nunc menses, nunc alvi profluvia, nunc renum, vesicae, aliorumque viscerum affectiones possunt indicare, adeo facile ad cogendum hunc fluxum naturam lacesserunt "scatent ,, enim, inquit, Practicorum observata infortuniis, ,, quae oborta sunt iis, qui medico cogente, hae- ,, morrhoidarii redditi, demum hanc depletionem ,, aut minus sufficientem, aut penitus habuerint sup- ,, pressam ,,. Insuper advertit idem cl. Vir, praeter damna, quae tum ex nimia sanguinis evacuatione, tum ex aliis, quas sibi adsciscunt haemorrhoides, molestiis et calamitatibus praeconceptam ubique haemorrhoides excitandi opinionem id damni praxi posse inferre, ut vera causa dolorem in lumbis, in ano, in vesica urinaria praetervideatur, hominesque, neglecta vera aerumnarum causa, frustra haemorrhoidibus torqueantur

Mittimus illorum opinionem, qui censent, ideo tanti faciendum esse fluxum istiusmodi, quod ater, luridus, densus venae portarum sanguis, atra bilis veterum, per hanc viam evacuatus viscerum prae-

sertim imi ventris affectionibus plurimis tollendis, ac praepediendis valere creditus sit; siquidem non semper directe ab ipsa portarum vena sanguinem fluere notum est, sicuti etiam et ipse arteriosus sanguis ex haemorrhoidalium arteriarum extremitatibus non secus ac in caeteris partibus dilatationem aut rupturam passis emittitur. Sane nullum est dubium, ex applicatis hirudinibus venae aeque ac arteriae sanari, et cum atro floridum sanguinem promanare. Adde quod melancholici et hypocondriaci effectus maxime a solidorum, et praesertim a systematis nervosi vitio sobolescant, et foveantur: quo quidem in casu ex diu coacto haemorrhoidali fluxu pessime multarentur aegrotantes.

Quae sane omnia nos evincunt, satis satisque a fluentibus vasis quae anum circumdant, summam saepe utilitatem haberi, et expectari posse; ejus tamen generis esse, ut non adeo facile, neque frequenter ab ipso nos falli sinamus, et sic ea negligantur quae caeteroquin aegrotantes ab hoc incommodo possent praecavere; alia enim natura praefert molimina, aliis valet ars subsidiis, ut morbis ac symptomatibus occurrat praeter hanc evacuationem. Et re quidem vera observare est, morbos eosdem nunc haemorrhoidibus, nunc sudoribus, nunc purgatione, aut diuresi judicatos, nunc alio modo, sicuti colligere est ab ipso Hippocrate: Alcippus nempe ex curatis haemorrhoidibus in maniam incidit, quam non restitutus hic fluxus, sed superveniens febris solvit. Natura scilicet ipsa, cujus inclinationem continuo per-

spicere oportet, ea quandoque efficit, quae ars numquam ansa esset. Ars itaque vel ex alia vena ducto sanguine, vel aptis auxiliis, quibus tollantur, aut emendentur causae, removeantur obstacula, avertatur stimulus, id potest consequi, ut non recentes tantum, sed et ipsae diuturnae haemorrhoides absque salutis detrimento curentur, atque ab his immunes reddentur homines.

Itaque in eo versari debet haemorrhoidum curatio, ut primum avertantur causae unde productae fuerunt ac sustinentur. Hinc plethoram venae sectionibus, diaeta tenui arcemus, ac praepedimus; alvi densitati occurrunt enemata ex decoctionibus emollientibus, addito ad opus butyro, oleo, melle, nec non blanda eccoprotica ex cassia, manna, tamarindorum pulpa, cremore tartari, aut olivarum vel amygdalarum dulcium oleo. Difficilis ac dolorificus ad induratas faeces deponendus nisus sedatur injectionibus ex oleo, butyro, lacte; nec spernenda sunt suppositoria ex iisdem substantiis parata, non minus quam ex sapone. Interim vero animi quies concilianda, corporis decubitus orizontalis, et supinus, arcendae si quae sunt, compressiones, et laxanda cingula, eodemque tempore tumentibus et inflammatis haemorrhoidibus potus ex frigida, aut oxycrato vel acetato plumbi in aqua diluto admovendi et identidem renovandi. Alia quoque plumbi nec non Zinci praeparata commendata fuerunt, quo spectant peroxydum plumbi album, seu cerusa, peroxydum plumbi rubrum, seu minium, sulphas zinci,

oxidum zinci sublimatum. Laudes quoque obtinuerunt cataplasmata ex foliis nicotianae Tabaci, non secus ac potus et injectiones ex eorum infuso, ut nihil dicamus de digitali purpurea, cujus infusiones a clarissimo Rubini commendatas legimus, et de aliis pharmacis bene multis, quae pro indicationum varietate locum habere possunt.

Si autem vehemens admodum sit obtumentium haemorrhoidum inflammatio, si calor, ardor, dolor ingens pulsatilis vexet ab attactu et conatubus ad egerendum alvum, aliisque corporis motibus, praesto sint venae sectiones pro indicationibus, iterata ac demulcentia, temperantia, diluentia, remedia; cataplasmata emollientia ex malva, althea, parietaria, ex pulpa pomorum dulcium, vel mica panis cum lacte mixta, similibus applicanda, iisque pro re nata anodyna consocianda. Cataplasmata ex foliis hyosciami non spernendae utilitatis tunc sunt. Plurimum profuisse ad temperanda symptomata, et leniendos dolores frequenter observatum fuit applicationem foliorum Lactucae coctorum, quibus addi possunt folia hyosciami. Multum quoque commendatur unguentum populeum, vel cum butyro recente mixtum. Unguentum ad haemorrhoides ita dictum, cujus compositio varia penes diversa antidotaria suum etiam locum habet; ita tamen, ut non nisi ex cognita ipsius compositione statuere licet utrum, et quando conveniat, aut alterum potius, quam alterum sit praeferendum.

Quod si haec omnia levandis incommodis paria

non sint, turgentes sanguine haemorrohoides reserandae. Id aquae calentis vaporibus obtinetur, secus hirudines ipsis applicantur, cum vero frequenter densiores factae tumorum haemorrhoidalium membranae hirudinum morsui resistunt, ex quibus major tunc irritatio sequeretur, lanceolae ope aperiri possunt tumores, quo collectus et densatus educatur sanguis, et sic praepediantur graviores fortasse, quae inde sequerentur laesiones.

Cum recti intestini prolapsum haemorrhoidibus causam praebere, aut ipsas fovere compertum sit, illius repositio, curanda vel manus auxilio, vel adstringentibus prudenter admotis, eaque sedulo vitanda, quae novae relaxationi quocumque modo favere queunt. Huc etiam specat remotio causarum, quarum potiores esse consueverunt faeces induratae, frequentes nisus ad alvum deponendum, insessus diuturnus, nec non saepenumero partis ipsius laxitas.

Quum non minus gravibus permultis symptomatibus, quam nimie saepius recurrenti, ac contumaci sanguinis ex haemorrhoidalibus vasis evacuationi ortum praebeat haemorrhoidum internarum descensus, quo fit, ut inter ani sfinoteres non raro compressae strangulentur, nec semper ipsarum in anum regressum, qui certe tentandus est prius digito ipsis repositis, vel inunctionibus ex oleo, butyro, albumine ovorum, praeterquamquod interdum ipsae incisae, et sic male imminutae per se restituuntur, ita obtinere fas sit, ut ex levi nisu iterum ite-

rumque non extrudantur; hinc cur hisce in casibus radicalis curatio non nisi ex ipsarum haemorrhoidum recisione auspicanda sit, quam ipsarum legaturae, ut nonnulli proposuerunt, praeferendam docent artis Magistri. Id etiam censendum de externis haemorrhoidibus, quae quandocumque caeteris auxiliis refractariae gravibus, pertinacibus, atque habitualibus vexare pergunt incommodis. Cauterii actualis usus a veteribus commendatus nunc pene exolevit.

De his plura non addemus utpote quae potius ad Chirurgorum provinciam spectant, ad quorum ideo consilium, auxiliumque confugere praestabit. Neque magis immorabimur in prosequendis variis haemorrhoidum sequelis, ut sunt indurationes, abscessus, fistulae, gangraena, tum quia haec quoque Chirurgiae opem saltem consociatam expostulant, tum quia multa quae ad medicinam pertinent, ex illis quae de inflammationum vario exitu attullimus, nullo negotio hauriri, atque huc referri posse putamus.

Animadvertendum non raro haemorrhoidales tumores flaccidos omnino se se exhibere, ac vix, aut ne vix quidem dolentes. Fotus tunc ex vino rubro Chalybeato, aut Myrrha, China-China, cortex Balausti infusa sint, aut saltem allumen, aliave adstringentia proficue adhibentur. Ex his omnibus manifestum est, diligentem partis inspectionem, explorationemque nunquam esse negligendam.

Quotiescumque ex nimia sanguinis jactura peri-

culum imminet, juvabit haemorrhagiae froenum imponere tum externis tum internis auxiliis. Quapropter sicuti de aliis haemorrhagiis diximus, si tum antecedentia, tum concomitantia signa, et symptomata activam fluxus prodant indolem, nullum est dubium, quin venae sectionibus in brachio et manu institutis cucurbitulis dorso applicitis, tepentibus ad brachia fotubus ac frictionibus sit occurrendum, diaeta moderata et frequenti subacidi potus administratione. Quod si his praemissis, urgeat tamen discrimen ex virium concidentia, aut opposita sit profluvii indoles; tunc supino servato corporis situ, usuveniunt frigidi ad anum, paerineum, nates, nec non gelidi fotus ex aqua cum aceto mixta. Hinc etiam proderunt fotus, ac injectiones in anum ex decoctionibus corticis Peruviani, Balausti, quercus, additis in urgentissimo casu alumine, acido sulphurico, aqua stiptica; spongiae quoque, aut pessaria hisce madida, aut pulveribus adstringentibus inspersa in anum introducentur, ut praetereamus succos plantaginis, urticae, sempervivi, similium, atque epithemata ex recentibus harum herbarum foliis contusis aliaque permulta, quae pro opportunitate vel in aliorum defectu utilitate certe non carent. Interim ad internum usum serum lactis tamarindatum, et subacescentes vegetabilium succi tutius usurpantur, uti et peruviani corticis decoctio, aut ejus tinctura aquosa, neque parvi faciendae sunt minimae doses radicis ipecacuanae saepius repetitae, et a quamplurimis commendatae.

Neque minoris momenti est cavere ab iis causis, quae fluxui fovendo, et excitando sunt pares. Vitanda ergo frequentia ad egerendum alvum conamina, ac faeces sive alimentorum qualitate, sive diluenti aliqua injectione emolliendae.

Vix alvo exonerata insessum deserat aegrotans, partes frigida abluat, et reponantur, si prolapsae sint haemorrhoides; a tussi, sternutatione, motubus corporis, et animi pathematibus vehementibus se pro viribus temperet. Hinc symptomatibus nonnullis, ut sunt dolores, tussis, spasmi, vigiliae saepius sedantibus anodynis occurrat, a fortioribus vero stimulantibus, ac maxime purgantibus, nec non clysteribus acribus, et drasticis se abstineat.

Coercito fluxu, expedit effectibus ac symptomatibus reliquis corrigendis, ac removendis incumbere, opportunis in usum ductis auxiliis juxta eorumdem varietatem, sicuti de aliis haemorrhagiis dictum est. Sedula vero causarum, quae haemorrhoidali fluxui occasionem praebere queunt, fuga et non intermissa remediorum administratio, quae causis adhuc corpori inhaerentibus infringendis sunt accomodata, apposito accedente vitae regimine, ea sunt, quae ad confirmandam non minus curationem, quam ad recidivam praecavendam facilius parant iter atque expeditum.

Quod demum pertinet ad morborum curationem qui a suppressione haemorrhoidum enascuntur, cum in causas haemorrhoidum primarias inquirendo, tum suppressionis ipsius rationem pro oculis habendo,

minus difficile erit eruere, utrum ad illorum remotionem, an ad fluxus haemorrhoidalis restitutionem convertendus sit animus. Quapropter consequitur aptam unicuique causae methodum aptandam esse. Fluxum autem susceptis vaporibus aquae calentis, tepentibus, emollientibus fotubus, aut cataplasmatibus applicitis, semicupiis, corporis exercitatione, equitatione, si nihil obstat, revocare saepe datum est, maxime vero hirudinum applicatione, aut detracto pro ut opus est, sanguine ex saphena tutius ac promptius levamen expectare licebit. Neque pro re nota respuendae frictiones ad anum ex foliis ficus, aut ex ruida charta, ut et suppositoria ex sale, aut ex aloe, similibusque, dummodo tamen metus nullus sit inflammationem excitandi. Purgantium quoque aloeticorum usus plurimam apud auctores invenit laudem ad ciendas haemorrhoides, quod etiam dicendum de martialibus. Verum quemadmodum horum non minus, quam aliorum remediorum administrationi suum certe non deesse locum libenter damus, tamen cognitus singulorum agendi modus, et peculiarium phoenomenorum consideratio ea erunt, quae tempus et opportunitatem indicabant. "Ne „ igitur haec contingant, scripsit Morgagnus (de „ sedis et caus. morbor. Epist. XXXII. § II.) quae „ autem in acerbis plerumque et praesertim in e„ gerendo, cruciatibus minime fieri, notum est, si „ quidem varices isti turgeant, nec rumpantur: „ aut sine profluvio sanguinis si rumpantur; immo„ dico interdum, et ea post se relinquente, quae

,, haemorrhoides non magnopere esse optandas sa-
,, tis superque docuerunt; primum plenitudo vitan-
,, da est; neque enim ut mulieribus in quibus ne-
,, cessarium id erat, ita viris apparatae ad naturam
,, viae sunt, per quas opportune sanguis minuatur;
,, sed a morbo aperiantur oportet, tunc aliquando
,, salutari, saepe etiam periculoso, semper incom-
,, modo.

THESES

I.

Haemorrhoides curare anceps est.

II.

Capitis affectiones gravissimae a turbato haemorrhoidali fluxu saepissime derivantur (Alberti).

III.

Multi vesicae morbi ab Haemorrhoidibus originem habent.

IV.

Sicuti et quorundam morborum, ita et haemorrhoidalium congestionum cum Luna consensus non omnino spernendus (Hufeland).

V.

In Varicibus ani passivis non semper remediis topicis roborantibus adstringentibus confugiendum.

VI.

Sicuti Inflammationes Thompson in activas et passivas, ita et vasorum haemorrhoidalium fluxus distingui debent.